







Bonn

1783.

1. Bigeleben, Casparus Fos.: De appellationibus praecipue a sententiis interlocutoriis
2. Breuning, Franc. Jac. de: De usu jurisprudentiae naturalis necessario in jure positivo

1784.

Spitz, Ludov.: De patriarchatibus, primatibus ac dignitatibus metropolitanis.

1785.

Spitz, Ludov.: De episcopis, chor. episcopis ac regularum exemptionibus

1786.

Martianus, Caspar Antonius, eques de: Brevitatis juris ecclesiastici exhibitae historiae, executionis ac suspensionem factae ecclesiarum collegiatae.

zum Colonien. praecipue per preces archieps.
Copales.

13.

PLANTAGINIS

FRONTO

Handwritten notes in the left margin, including the number '13' and some illegible cursive text.



Faint, illegible handwriting at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Handwritten text on the right edge of the page, partially obscured by the binding.



Bonn DE 1783, 1 4, 24
APPELLATIONIBUS

PRÆCIPUE 26.

A

SENTENTIIS INTERLOCUTORIIS

DISSERUIT

SUBMITTENS ERUDITORUM TENTAMINI

THESES VARIAS

EX

JURE ECCLESIASTICO COMMUNI ET GERMANICO
CASPARUS JOS. BIGELEBEN, Arnsbergensis

Juris utriusque Auditor

IN AULA MAJORI ARCHIEPISCOPALIS ET ELECTORALIS
ACADEMIÆ MAXIMILIANEO-FRIDERICIANÆ
BONNENSIS

AD DIEM XII. DECEMBRIS ANNI MDCCLXXXIII.

Manè ab horâ nonâ ad undecimam.

Ex speciali Licentia Electorali Academica.

B O N N Æ,

EX TYPOGRAPHIA ELECT. ACADEM. APUD JOAN. FRID. ABSHOVEN.

* * *

In refutandis aliorum Argumentis 1.) cavendum, ne quis prodat suos Affectus vel cum animi acerbitate Refutationem instituat, licet vel maximè aliquando Adversariorum thesis Censura acriori digna videatur: Nam nihil magis scriptum aliquod commendat, quàm modestia. 2.) Videndum, ne aliam ipsi affingamus mentem, quàm revera est, in quo ut plurimum peccari solet, testantibus id publicis scriptis. 3.) Ne Sophismata in Subsidiium vocemus aut Cavillatoriis aut alias obtortis utamur interpretationibus; sunt enim nonnulli adeò fervidi in Disputando, ut sui quasi immemores magis cavillari quàm disputare videantur.

JUSTUS HENNINGIUS BOEHMERUS in Manuduct. ad Methodum conscribendi Dissertationes pag. 111.



DE APPELLATIONIBUS
PRÆCIPUE
A SENTENTIIS INTERLOCUTORIIS.

§. I.

Dum prima Charitas, Religio, Candor, & integritas vigeant inter Christianos, judicium ecclesiasticorum Audientia exiguas in perferendis factis experiebatur molestias, atque in executione Sententiæ difficultatem nullam; sed familiaria Ethnicis probationum pericula, litium anfractus, reorum effugia, Frustrationes & Calliditates, atque præcipuè appellationum pruritus * à Tribunalibus Christianorum canonicis tunc exulabant, triumphante justitiâ, mirante gentilitate, Imperatoribus Orientis omnes causas *more Christiano*, id est: sine litium ambagibus, & SINE APPELLATIONE finire optantibus **.

A

* Non-

* Nonnisi in causis Clericorum & Episcoporum criminalibus & arduis, & quidem ad Synodos provinciales tantum poterat appellari. Conf. *Can. Conc. Nicæn. Can. 5.* & VAN ESPEN *ſ. E. U. P. III. Cap. X.*

** Hęc sacerdotalis Brevitas in expediendis litibus ita placuit Imperatoribus Orientis, ut contulerint Episcopis potestatem laicorum quoque causas civiles dirimendi, *omni REMOTA APPELLATIONE: Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sacerdotibus elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam iubemus, quam vestris deferre necesse est Potestatibus, à quibus NON LICET APPELLARE*, rescripserunt Imppp. Arcadius, Honorius, & Theodosius Theodoro P. P. in *l. 8. C. de Episcopali Audientia.* Nempe Iudicia hęc magis ad arcanas conscientię leges, ingenuęque pietatis, ac infucatae iustitię Regulas, quam ad Technas, & Vexas exigebantur. Vid. THOMASINUS *V. N. E. D. P. II. L. 8. Cap. 102. N. 1.*

§. II.

Hanc Iustitię ac pietati conjunctam sacerdotalem Brevitatem in dijudicandis causis quoque civilibus laicorum CAROLUS M. non solum confirmavit, sed insuper etiam indulgit, ut in quacunque litis parte alter alterum, etsi reluctantem trahere posset ad Episcopale iudicium OMNI penitus APPELLATIONE INTERDICTA à Sententiis Episcoporum *.

* In CAP. REG. FRANC. apud STEPH. BALUZIUM *Lib. VI. Cap. 281.* ibi: „Volumus, atque præcipimus, ut omnes ditioni nostrę, Deo auxiliante, subjecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bavari, Burgundiones, Saxones, Thuringi, Frisones, Galli, Britones, Longobardi, Guafcones, Beneventani, Gothi, Hispani, cęterique nobis subjecti omnes, quocunque videantur legis Vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc Sententiam, quam ex sexto decimo Theodosii Imperatoris libro, Capitulo videlicet undecimo, ad interrogata Ablavii ducis illi, & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter nostra

stra Capitula pro lege tenendam Consultu omnium fidelium nostrorum, tam Clericorum, quam Laicorum potuimus, lege cuncti perpetua teneant, id est: quicumque litem habens, sive Possessor, sive Petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum Curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi Sententia, iudicium elegerit sacrosanctæ Sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum Iudicium cum Sermone litigantium dirigatur. Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio Jure, vel civili tractantur, Episcoporum Sententiis terminatæ, *perpetuo stabilitatis Jure firmentur, nec ulterius liceat retrahere negotium, quod Episcoporum Sententia deciderit &c.* — Equidem CAROLUS M. hic provocavit ad EXTRAV. I. *Cod. Theod. de Jud. Ep. 1.* quam suppositam multis argumentis demonstravit JAC. GOTHOFREDUS in Notis ad Extrav. I. cit. Verùm Edictum hoc CAROLI M. nobis pro Germaniâ & Galliâ certò ostendit Disciplinam iudiciorum ecclesiasticorum contra appellationes interdictas à Sententiis eorum in causis adeo Civilibus. Conf. BØHMERUS in Corp. jur. can. *Tom. 1. in Notis ad Can. 37. XI. q. 1.* RUPPRECHT in *Not. bist. Lib. II. p. 323.*

§. III.

Quando Sæculo IX. famosissima illa Pseudo-Collectio Isidori Mercatoris in Ecclesias, etiam Germaniæ & Galliæ penetravit, quoad interdictas Appellationes infringi cœpit hæc sacerdotalis Brevitas, atque per spurias decretales in illa contentas diversi iudiciorum & iudicium Gradus fuere stabiliti *, *permissis APPELLATIONIBUS, ex causâ: ne forsan innocens damnetur, aut Ecclesia aliquod detrimentum patiatur **.*

* Conf. FLEURY P. III. *Instit. jur. eccles. Cap. 33.* VAN ESPEN *J. E. U. P. III. Tit. X. C. 1. §. VI.*

** Ita in Terminis Epistola SIXTO I. Papæ à Pseudo-Isidoro falso attributa, relata apud GRATIANUM *Can. 4. II. q. 6.* adde suppositam Epist.

Epist. ZEPHERINI P. relat. *ibid.* Can. 8. Generalem verò appellandi Copiam fecit Canon. 9. loc. cit., qui JULIO I. P. falso inferibitur, qui ità habet: *Placuit, ut, à quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos, ubi est auctoritas major, fuerit provocatum, audientia non denegetur.*

§. IV.

Aucta fuit hæc appellandi facultas à Sententiis iudicum ecclesiasticorum, quando Sæculo XI. & XII. in Tribunalia ecclesiastica, ex recepto tunc studio Juris romani, penetrarunt formalitates & subtilitates forenses *, atque universa Christianorum iudicia inciderunt in maximum Processûs gentilis incommodum **, quorum causa, & occasio erat refrigescens labente tempore charitas fidelium, ceu GREGORIUS IX. Papa ipsi conqueritur in Bullâ collectioni Decretalium præfixâ ***.

* Conf. RUPPRECHT loc. cit. p. 361.

** Amaras contra id querelas movet D. BERNARDUS Sec. XII. *L. III. de Consideratione Cap. 2.*

*** Verba hujus Pontificis sunt hæc: *Effrænata cupiditas sui prodiga, pacis emula, mater litium, materia jurgiorum tot quotidie nova litigia generat, ut, nisi iustitia conatus ejus sua virtute reprimevet, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, jus humani fœderis litigatorum abusus extingueret, & dato libello repudii concordia extra mundi terminos exularet.*

§. V.

Non stetit hic mutata, mutatis fidelium moribus, Ecclesiæ Disciplina & facta à sententiis, & judicatis Tribunalium ecclesiasticorum inferiorum jure Canonico appellandi copia, sed mox eodem

dem jure à quibuscunque sententiis, etiam INTERLOCUTORIIS, à quocunque gravamine sive *judiciali*, sive *extrajudiciali* etiam à Decretis Provisionalibus absque exceptione potuit appellari, & provocari *.

* Tot. Titolo *de Appellationibus*. adde VAN ESPEN *loc. cit.*

§. VI.

Contra hanc illimitatam appellationum frequentiam conquesti sunt omnium nationum Episcopi, in Concilio Basileensi remedium contra illas sollicitantes, quod etiam Eugenius IV. Papa Sess. XX. anno 1435. tulit lato à Patribus Concilii Decreto contra frivole appellantes *, ne super eodem gravamine aut super eadem interlocutoriâ vim definitivâ non habente SECUNDO appelletur; quod cum Patres ejusdem Concilii, ceu insufficientes contra abusum agnovissent, aliud Decretum efficacius condidit Sess. XXXI. prohibens, ne à gravamine in quacunque instantiâ ante definitivam Sententiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale gravamen extiterit, quod in definitivâ Sententiâ reparari nequiret **.

* Decretum hoc ita sonat: *Ut lites citius terminentur super eodem gravamine aut super eadem Interlocutoriâ, vim definitivâ non habente, nullatenus liceat secundò appellare, quodque ante definitivam frivole, vel injuste appellans ultra condemnationem expensarum, damnorum, & interesse in quindecim florenis Auri de Camera parti appellatæ per appellationis Judicium condemnetur.*

** Decretum hoc cum fuisset latum à Patribus, dissoluto jam Concilio ab EUGENIO IV. ac propterea ex hac causa auctoritatem non haberet, illud ob sui utilitatem recepit Natio nostra germanica Moguntia anno 1439 inter Concordata Principum, quibus consensu suo brevi ante obitum accessit EUGENIUS Papa, confirmatis quoque iis & acceptatis à Successore ejus NICOLAO V. Conf. CONCORD. GERM. Tom. I.

B

§. VII.

§. VII.

Cùm Jus nostrum ecclesiasticum decretalium, ac præcipuè, quod Processus judicialis per summos Pontifices meliorem in ordinem esset redactus, una cum appellationum Copiâ etiam in fora Germaniæ civilia, etiam suprema subintrâssêt *, Imperatores & Status Imperii appellandi facultatem limitarunt anno 1495. in Comitibus Wormatiensibus **, quæ Ordinatio in Reecessibus Imperii anno 1508. 1523. 1555. demum in Recessu novissimo confirmata fuit ***.

* Conf. ENDRES Diss. *de diverso Juris canonici ad civile habitu*. In Tom. I. Thes. Schmitt. p. 109. FLÖRCKE *de prærog. Jur. Can. præ Jusinian.* 1757. Halæ.

** Ordinatio exstat in *Collect. RR. Imp. P. II. pag. 9. §. 24.* his Verbis: Item, als täglich durch unnothdürftig, und freventlich Appellation, die von Beyurtheilen, *interlocutorie* genannt, gefährlich um Verlingerung des Rechts geschehen, auch viel kosten, und Schäden erlitten werden, so soll hinfüran das Cammergericht die Appellation von solchen Interlocutorien nicht annehmen, wo die Beschwörung in der Appellation bestimmt, durch die Appellation von der Enturtheil der Hauptsache mécht erstatt, und herwider bracht werden, wie das in Kayserlichen Rechten (vid. Leg. 7. Cod. *quorum Appell. non recip.*) geordnet und begriffen ist.

*** Ordinationes vide in *Collect. Recest. cit. Tom. II. pag. 126. §. 8. pag. 249. §. 4. & Tom. III. pag. 104. §. 3. pag. 652. §. 58.*

§. VIII.

Ecclesiæ quoque nostræ Colonienfis Antistites non deerant in coercendis Appellationibus, præcipuè à *Sententiis interlocutoriis*, atque præprimis THEODORICUS Archiepiscopus Colonienfis anno

1452.

1452. simpliciter prohibuit, *ne appellaretur à Sententiis interlocutoriis* *, HERMANNUS vero à Weda anno 1537. prohibuit appellari à Sententiis interlocutoriis, si gravamen per eas illatum per appellationem à Sententiâ diffinitivâ non posset reparari **.

* Statuta illius §. 59. de hac re ita habent: Nemo Procurator, aut Advocatus partem suam inducat ad appellandum & *specialiter ab Interlocutoriâ, quoniam per hoc partes nimium gravantur.* Vid. CODEX Statutorum antiquus pag. 262.

** Hic in REFORMATIONE *Judiciorum Coloniaensium civilium* à se editâ sub Rubricâ: Von Appellationen, so von Beyurtheilen geschicht: §. 4. ita disponit: Die Appellation von einem Beyurtheil, oder Beschwerniß soll allein zugelassen seyn, da die Beschwerden kraft eines Endurtheils der andren Instanz nit wiederholt, oder abgethan werden mögen. Vid. CODEX MAXIMILIANEUS Tom. I. pag. 439.

§. IX.

His saluberrimis contra Appellationes frivolas à Sententiâ interlocutoriâ editis plurimis decretis inattentis, antiqua nihilominus ejusmodi indistincta appellationum Praxis è foris, præcipuè ecclesiasticis in Territorio, & Dicecesi etiam Coloniaensi eliminari non potuit, restante id energeticâ peroratione contra Appellationes à Reverendissimo nostro JOANNE GROPPERO * Archidiacono, & Præposito Bonnensi in Concilio Tridentino anno 1552. ad Patres Congregatos habitâ **; ubi, postquam disseruerat, *inauditu alias in primitivâ Ecclesiâ nomen appellationis, defervescente in Judiciis charitate, atque loco affectibus irrepisse in Ecclesiam, proposuit Patribus, inter alia esse decernendum, ne ab articulis, aut decretis interlocutoriis deinceps provocaciones fiant* ***.

* Quæ vir hic pro bono Religionis, & Patriæ suo tempore emolumenta præstiterit, vide sis ARNOLDI MESHOVII, & MICHAELIS AB ISSELT *Histo.*

Historiam Religionis Ecclesie nostrae Coloniensis sub Hermanno, & Gebbaro Archiepiscopis; quæ Idiomate germanico anno 1764 prodit: à pag. 54. & seqq.

** GROPPERUS noster apud Archiepiscopum nostrum Colon. ADOLPHUM anno 1551 Theologi, & Jureconfulti munere perfundus fuit in Concilio Tridentino, atque die Epiphaniæ 1552 ad Patres Concilii Sermonem succo Sapientiæ, & Religionis plenum habuit, ceu mihi testantur *manuscripta*, & adhuc inedita *Acta, & Gesta in Concilio Tridentino per JULIUM III. Papam reassumpto. notata, & compilata à die 26ta Septembris, anni 1551 usque ad diem 8vam Martii anni 1552 per Rdos Patres Ordinis Carmelitarum Provinciae Alemannie inferioris P. Everhardum Billicum, & Patrem Jodocum, qui Concilio Tridentino interfuere.* — Quod Viri hujus (quantum quidem ego judico) præ omnibus aliis gestis immortalæ reddit gloriam, quod à PAULO IV. Pontifice, ut huic in emendatione morum à Consiliis esset, Romam accersitus eidem Pontifici, tunc cum Ferdinando Imperatore, & Philippo Hispaniæ Rege diffidiis gravissimis involuto; hisque cedere nolenti efficacissimis verbis Authoritatem & Reverentiam Imperantibus ejusmodi debitam Spirantibus consuluerit, Imperatori, & Regi ad majorem Ecclesiæ, & Imperii utilitatem cedendum fore. Vid. PALLAVICINI *Hist. Concil. Trid. Lib. 14. Cap. 6. n. 11.* Oblata fuit à Paulo IV. purpura, sed magnâ animi demissione illam recusavit, obiitque die 19. Martii anni 1559. — Corrige hic Merxæum Cratopolium, qui eundem anno 1553 obiisse falso enarrat.

*** Vide *Hist. Conc. Trid. pag. 300.* ubi hæc habentur: De Appellationibus JOAN. GROPPERUS in Concilio & Theologi, & Jureconfulti munere perfundus, plurima cum Dignitate disseruit in hunc modum. „Dum fidei fervor Christianorum pectori infederat, inauditum appellationis nomen, sed defervescente in iudicibus charitate, datoque loco affectibus, irrepisse in Ecclesiam, propter eas ipsas causas, ob quas in forum sæculare fuerat introductum: nempe ad oppressos sublevandos; Ea propter sicuti judicia primitus solus Episcopus non constituebat, sed Episcopus de Consilio Sacerdotum: sic olim non ad unum aliquem, sed ad aliam Congregationem universam appellatum; Verum
Epis-

Episcopis visum, sublatis Synodis, more Judicum secularium, forum & Officiales instituere. Neque in hoc vestigio malum pedem fixisse, sed ad abusus magis majores, quam in foro seculari, gradum non constantior fecisse. Illic enim provocationem non fieri nisi ad judicem immediate superiorem; tantum abesse, fas ut sit, ad supremum primo saltu tendere. Neque licere in articulis causæ provocare à *Decretis judicis*, quæ vocantur INTERLOCUTORIA, sed causæ finem, & Decreta litis decisoria necessario esse exspectanda. At contra in Judiciis ecclesiasticis & appellari à singulis Actis judiciis, unde causarum immenitas nascitur; & immediate ad supremum, unde sequitur, extra Territorium, magno cum sumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiscendi necessitas. Atque hæc non alium ob finem à se referri dicebat, nisi quia rei hujusce Reformatione jam instituta, quæ & ipsa tota scætat corruptelis, & non solum Residentiæ est inimica (ut in Congregationibus à tot erudiitis Doctoribus ac Patribus est declaratum) sed & omnem prorsus corrumpit Disciplinam, cum maximo populi & onere, & sumptu & offendiculo; eam ad Originem suam, saltem, quam proxime potest, revocandam censeat, idea quadam perfecta ob oculos posita, in quam obtutu fixo ad eam, quantum rei corruptela patitur, tam maxime accedatur. Monachorum omnium Societates probe institutas, Appellationem omnem vetuisse: atque hoc unicum esse remedium. Alias, quæ tam sublime fastigium attingere non poterant, moderationem adhibuisse, Appellatione intra Ordinis sui Cancellis tantum permittitur, & ad alios extra eum Ordinem provocatione prohibita. Eam rem, sicuti sodalitia ea intra rectæ administrationis Regulas feliciter continere conspiciuntur: ita haud dubie in publico Ecclesiæ regimine eundem effectum producturam, si Appellationes extra Provinciæ cujusque fines non evagarentur. Ad hoc itaque efficiendum, simul ad coercendam litigantium malitiam, Appellationes ad Juris civilis formam reducendas; vetandumque, ne intermedios judices Superiores prætervechi ad supremum pleno saltu provocent: Item *ne ab Articulis aut Decretis interlocutoriis provocationes fiant*. His adhibitis Cautionibus futurum, ut neque causæ Domo procul facessant, neque lites in longum extrahantur: neque in sumptus immodicos, & molestias insuperabiles à Litigantibus incurratur. Atque ut Jus majori fide,

ac sinceritate dicatur, restituenda Judicia Synodalia tot tantisque corruptelis non adeo obnoxia“.

§. X.

Solida hæc Oratio JOANNIS GROPPERI nostri in Concilio Tridentino habita inattentis Cardinali, & Nuncio Sipontino, nec non Baptista Castello Bononiensi contra positus id effecit, ut Summus Pontifex cum Patribus ejusdem Concilii anno 1561. *Sess. XX. Cap. 20.* absente quidem GROPPERO, sed ejusdem Verbis memoriæ Patrum adhuc altè inscriptis contra Appellationes frivolas inter alia ordinasset: *Appellationes à Sententiis Judicum inferiorum per Superiores quoscunque non esse recipiendas, nisi à diffinitivâ, vel à diffinitivæ vim habente & ejus gravamen per Appellationem à diffinitivâ reparari non possit **.

* Adferam Verba Decreti, cujus *Joannes Gropperus* noster in Concilio Tridentino causa extitit, ex Concilii Tridentini editione primâ Colonia anno 1564. typis Materni Cholini factâ: pag. 227. b.) „Causæ omnes ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima Instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur, atque omnino, saltem infra biennium à die motæ litis, terminentur: alioquin post spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum Judices Superiores, alias tamen competentes, adire; qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quamprimum terminari curent, nec antea aliis committantur, nec avocentur: neque Appellationes ab eisdem interpositæ, per Superiores quoscunque recipiantur; eorumve Commissio, aut inhibitiio fiat nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente, & cujus gravamen per Appellationem à definitiva reparari nequeat“.

§. XI.

§. XI.

Ne quoque in Tribunalibus Romanis reciperentur Appellationes ejusmodi irregulares, Summi Pontifices Regulam præscripserunt Cancellariæ suæ, inhæsitivam Concilio Basileensi (§. VI.), & conformem Decreto Concilii Tridentini *.

* REG. CANCELL. 35. apud CHOKIER pag. 383. est sequentis tenoris:
 „Item idem D. N. ut litibus finis celerius imponatur, & litigantium pareatur sumptibus & expensis, suorum Prædecessorum Constitutionibus & Statutis inhærendo, statuit, & ordinavit, quod in causis in Rom. Curia pendentibus, & quas imposterum in ea quovis modo contigerit agitari, nulli ante diffinitivam Sententiam, liceat appellare, nec Appellatio, si fuerit commissa, debeat admitti nisi ab Interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel à gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per Appellationem à diffinitiva Sententia reparari, nullæque causæ appellationum hujusmodi committantur, nisi in Commissione exprimatur, quod Interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in Appellatione à diffinitiva non valeat reparari: alioquin Appellationes & Commissiones in posterum & quidquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti, Commissionibus Appellationum jam Judicibus præsentatis & exhibitis in suo robore permanensuris, in quibus latis super eisdem Sententiis secundo vel alias ulterius ab eis non liceat appellare: appellantes vero & Appellationes etiam ab Interlocutoriis & gravamine hujusmodi, suo vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint ultra expensas, & damna, ad quæ refarcienda de Jure condemnatus compellitur, XX. Florenis Auri poena mulcentur.

§. XII.

Postquam in Ducatibus Juliæ, & Montium Praxis præcitaris hæctenus Legibus è Diametro adversa invalescere cœpisset, atque Subditi eorum à Sententiis interlocutoriis Decanorum Ruralium (qui

ex

ex Concordatis Jure Tribunalis externi gaudent) quanquam vim diffinitivæ non haberent, atque earum damnum per diffinitivam aut Appellationem à Sententia diffinitiva reparari potuisset, appellare attentassent, Serenissimus Dux JOANNES WILHELMUS Leges antiquas tum Imperii, tum Ecclesiæ innovavit, atque Subditos suos in futurum ita appellantes sub pœnali 50 Aureorum Florenorum lege coercuit sequentis tenoris *:

* Von Gottes Gnaden Johann Wilhelm Churfürst etc. Thuen kund und fügen hiemit jedermänniglich zu wissen: Nachdem Wir von verschiedenen Stiftern, Landt-Dechanten, Camerarien, Assessoren in dahiesigen unseren Fürstenthumben Gültlich und Berg unterthänigst berichtet worden, was maßen die Pastores sowohl, als andere Lands-Eingeseßene und Unterthanen mit Vorbeygehung ihrer in geistlichen Sachen vermög des mit Chur-Cöllen im Jahr 1621 getroffenen Provisional-Vergleichs competirender erster Instanz wider die Lands-Privilegia, und altes Herkommen sich außer Landts zu denen Cöllnischen und Lüttigischen Officialen und Archidiaconen hinwenden, von denen à Capitulis aut Decanis Ruralibus ertheilten interlocutorie Bescheideren, qua vim definitivæ Sententiæ non habent, in vilipendium Jurisdictionis in prima Instantia fundatæ, also gleich appelliren thuen, und daher demüthigst gebetten, Wir als Landtsfürst gnädigst geruhen wollen zu Conservirung gemelten Provisional-Vergleichs, mithin auch der Lands-Privilegien, und alten Herkommens dieselbe bey ihrer geistlichen Sachen wohl hergebrachtter erster Instanz kräftigst zu manuteniren, und die Uebertretere ohne Unterscheid der Personen pœnaliter darzu anzuhalten, daß Wir solchem billigen Bitten und Begehren in Gnaden Statt gegeben, und befehlen dannenhero allen und jeden geist- und weltlichen Eingeseßenen und Unterthanen in obengemelten unseren Fürstenthumben Gültlich und Berg hiemit gnädigst und ernstlich, daß keiner bey Vermeidung unserer Landtsfürstlicher Ungnad und respectivè einer ohnaußbleiblicher Straf von 50 Goldgülden inskünftig sich mehr gelüsten lassen solle die in geistlichen Sachen wohl hergebrachte und fun-

fundirte erste Instanz gemelter Stifter und Landt-Dechanten vor-
 bezugehen, weder von ihren Bescheidern, qua definitivam aut vim
 definitivæ Sententiæ non habent, auffer Landts zu appelliren, widri-
 gen ohnverhofften Falls Wir die Uebertretere mit obangerogter
 Straf irremissibiler anzusehen nicht ermangelen werden, wornach
 ein jeder sich zu achten, und vor Schaden zu hüten wissen wird.
 Geben in unserer Residenzstadt Düsseldorf den 26ten April 1704.

Aus Höchstged. rc.

N. Steffani, Abt zu Lepsing.

Jo. Herman Vogels.

§. XIII.

BENEDICTUS XIV. cum adhuc in minoribus esset, atque inter
 alios Appellationum abusus in damnum grave Ecclesiæ & litigan-
 tium ac ordinariorum Judicum invecos deprehendisset quoque,
 contra Concilii Tridentini Constitutionem (§. X.) & Regulam
 Cancellariæ præscriptam: *de non appellando ante definitivam*, nihi-
 lominus appellari, Citationes, & Inhibitiones decerni, novâ, ea-
 que gravissimâ Constitutione pro universali Ecclesia Christi anno
 1742 sub initium sui Pontificatus editâ his abusibus obviam ivit *.

* Bulla extat in *Tom. II. Conc. germ. pag. 272.* Atque, quantum huc
 spectat, ita statuit: „Ad militantis Ecclesiæ regimen nullo merito-
 rum nostrorum Suffragio, sed imperferutabilis Consilii altitudine evoca-
 cati, inter graves Curas, quas assidue pro nostro munere sustinemus,
 postrema illa non est, in quam totis Viribus incumbendum esse du-
 cimus, ut graves nimium, diuturnæ, nulloque unquam tempore in-
 intermissæ Episcoporum, aliorumque ordinariam Jurisdictionem ha-
 bentium querelæ adversus majora Tribunalia, atque illa etiam nostræ
 Romanæ Curie propositæ, tandem compescantur. Intimo siquidem
 animi nostri mœrore, cum in minoribus adhuc essemus, jam diu in-
 telleximus, plerosque locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum

D

irrep-

irrepſiſſe, quod ad malitioſam petentium ſuggeſtionem à Patriarchis, Metropolitanis, S. Sedis à Latere Legatis, & diverſis dictæ Romanæ Curiæ Judicibus Inhibitiones ſine delectu cauſæ, & rei, de qua agitur, examine paſſim concedantur. *Et infra*: Appellationes autem non recipiantur, neque Inhibitiones vigore illarum concedantur, niſi prius conſtiterit, quod nedum per legitimam perſonam, & intra legitima tempora vere appellatum fuerit, ſed etiam quod appellatum fuerit à *Sententia definitiva vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam Sententiam reparari non poſſit*: idque per publica documenta, quæ realiter in actis exhibeantur; tunc enim, & non antea iudici, ad quem appellatum fuerit, in cauſa ſe intromittere, Citationes, & Inhibitiones concedere liceat, dummodo tamen concedantur cum inſcriptione tenoris Sententiæ, aut Decreti definitivi, ſeu vim definitivæ habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis; Alias Citationes, Inhibitiones, Proceſſus, & inde ſecuta quæcunque ſint, ipſo Jure nulla, atque impune ſperni poſſint“. Haſtenus ſapientiſſimus BENEDICTUS XIV.

§. XIV.

Ex his autem omnibus haſtenus deductis, videlicet a) Decretis Concilii Baſileenſis à Natione germanicâ acceptatis (§. VI.), b) Ordinationibus Receſſuum imperii variis hæc de re editis (§. VII.), c) Conſtitutionibus Theodorici, & Hermanni Archiepiſcoporum Coloniaenſium (§. VIII.), d) graviffimo Decreto S. Concilii Tridentini ad Conatus JOANNIS GROPPERI noſtri eximiè perorantis condito (§. X.), nec non e) noviffimâ Bullâ à BENEDICTO XIV. contra ejuſmodi Appellationum abuſus anno 1742 ad Eccleſiam Chriſti univerſalem directâ, ex his, inquam, omnibus evidentiffimum eſt, ac pro Scholis ac Judiciis certiffimè tenendum, quod à *Sententiis interlocutoriis Judicum inferiorum aliter appellari non poſſit, quàm ſi aut habeant vim diffinitivæ, aut per eas inferatur gravamen per Sententiam diffinitivam, aut per Appellationem ab eâ irreparabile* *.

* Conf.

* Conf. PÜTTERUS in *nova Epitome Processus imperii* §. 181. ubi docet: denique nec a diffinitiva solum Sententia, sed etiam ab interlocutoria appellari potest, si modo, aut vim diffinitivæ ea habeat, aut gravamen mediante Appellatione a diffinitiva reparari amplius nequeat. MOSERUS von der teutschen Justizverfassung. Erster Theil von Appellationen pag. 583.: von Interlocutorien, Beyurtheilen, und Bescheiden soll keine Appellation angenommen werden, wenn die Beschwerde durch eine Appellation von dem Erdurtheil kann gehoben werden“.

§. XV.

Tria porrò ex præmissis necessariâ sequuntur sequelâ: I.) Non audiendam esse Sententiam eruditissimi alias GIBERTI docentis: Ordinationem Concilii Tridentini (§. X.) tantùm loqui de causis in Curia Romana expediendis *, multò minus II.) attendendam esse opinionem FRIDERICI LUDOVICI docentis: deficiente locali statuto à Sententiis interlocutoriis quibuscunquæ posse appellari **; Neque III.) Legibus prædictis esse consonam communem interpretum Sententiam, qui statuunt: ab Interlocutoriis, quæ directè, vel indirectè Causam principalem respiciunt, quamvis gravamen sit absolute reparabile, posse appellari ***.

* Etenim Concilium Tridentinum solummodò loqui de causis in Curia Romana expediendis, & Historiæ, & menti Concilii Tridentini repugnat: Proposuit GROPPERUS Patribus in Concilio generaliter abufum Appellationum ab Interlocutoriis. — Rogavit generale Remedium contra illas — Patres quoque generaliter decreverunt, non esse recipiendas Appellationes ejusmodi per Superiores quoscunque, sive Patriarchæ, sive Primates, sive Metropolitanæ, & Archiepiscopi extitissent — & si ejusmodi Appellationes sint abusus in Tribunalibus exteris, cur non forent abusus in Judiciis Metropolitanarum, & Episcoporum?

** Lin.

** *Einleitung zum Civil-Proceß Cap. XXXIII. von der Appellation:* ubi ait: Nach dem Päpstlichen Recht kann man auch von schlechten Beyurtheilen (non mixtis) appelliren, . . . und an Oerteren, wo keine Special-Constitutiones sind, bleibt es bey der Verordnung des Juris canonici. — Hæc inquam, Sententia Authoris a. c. inter Catholicos non subsistit, nam 1.) solummodo foris suis nempe Protestantium loquitur, ceu liquet ex Verbis præcedentibus: Was NB. unsern Praxin betrifft *et.*; itaque ad Praxin Catholicorum perperam extenditur; 2.) Protestantes Concilium Tridentinum non admiserunt, itaque inter ipsos viget adhuc usus Juris canonici communis semel receptus *quoad Processum judicalem*, nisi contrariæ adsint Ordinationes locales; Foris autem Catholicorum sanctissimæ esse debent Constitutiones S. Concilii Tridentini, & Summi Pontificis Benedicti XIV. hæc de re editæ, ac receptæ nec non Concordata Principum à S. Sede apostolica acceptata.

*** De hac opinione vide ESPENIUM *ŷ. E. U. P. III. T. X.* ubi ait hanc Sententiam favere iis, qui quæstiones, & lites æternizare volunt; & sanè si ab interlocutis causam principalem directè vel indirectè respicientibus indulgeretur appellatio, latissima rursus appellationum abusus panderetur via; Etenim vix ullum interlocutum excogitari poterit, quod *per indirectum*, uti loquuntur practici, ad causam principalem relationem non haberet.

§. XVI.

Quando autem Leges nostræ Canonice statuunt à Sententiis interlocutoriis, vim diffinitivæ non habentibus & gravamen irreparabile non inferentibus, non posse appellari, *an ergo si non appellatur ab iis, lapsò decendio transibunt in rem judicatam?* R. NEGATIVE. — Etenim id apertè innuunt Leges Nostræ, dum prohibent quidem Appellatione, volunt Appellatione factâ à Sententia diffinitiva gravamen per Interlocutorias illatum esse reparandum, itaque ex Legibus citatis non transibunt rem judicatam, nisi unâ cum diffinitiva, si ab hæc lapsò decendio non fuerit appellatum; Hæc ratio-

ratione unâ ex parte provisum manebit contra infinitas Litiùm am-
bages, & periculum judicialis æternitatis, alterâ verò ex parte
etiam Gravatis succurritur Remedio contra Gravamina per Inter-
locutorias & diffinitivam illato.

§. XVII.

Tandem pro Coronide Lectori dijudicandum relinquo: an
hæc Doctrina: à Sententiis interlocutoriis, quæ vim diffinitivæ non
habent, aut inferunt gravamen per diffinitivam aut Appellationem à
diffinitivâ reparabile, non potest appellari: mereatur hanc Censuram?
quod sit Processus judicialis penitus subversiva.

POSITIONES

EX JURE ECCLESIASTICO.

- I. **A** Mandatis quibuscunque Cultum Divinum respicientibus, sive in Vi-
sitatione, sive extra latis non potest appellari.
- II. Uti nec à Decretis contra Parochos latis à Vicario Episcopi, si Decreta
ad Sacramentorum administrationem & Curam animarum quoquo modo
pertineant.
- III. Neque appellari potest à Mandato Episcopi vel ejus Vicarii (utut huic
Jurisdictio contentiosa non competat) quo Vicario perpetuo Parochiæ Mo-
nasteriis, vel Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis incorporatæ assignatur com-
petentia, & quidem non ex Constitutione PII V. *Ad exequendum.* sed
ex Conditione personæ, & locorum æstimanda.
- IV. Improba quoque est Appellatio adversus Visitationem Ecclesiarum quo-
modolibet exemptarum ab Episcopo vel ejus Vicario factam.

E


V.

- V. Qualis quoque est illa, si appelletur à Decretis, vel Mandatis Episcopi, aut ejus Vicarii, dum hi vel Parochos populi numerosioris cogunt ad assumendos sibi in Curâ animarum Socios, vel invitis etiam Parochis procedunt ad parochiarum divisionem, vel ad sublevandam Parochorum paupertatem uniunt iis Beneficia simplicia.
- VI. Nec ulla conceditur Appellatio à Decreto, quo Parochis illiteratis, & imperitis deputantur Coadjutores temporanei cum assignatione partis fructuum, aut quo suspenduntur, vel ad locum correctionis disciplinaris transferuntur ob morum deformitatem ad pascendum & ædificandum inepti.
- VII. Inhibetur quoque Appellatio à Decreto provisionali Episcopi, vel ejus Vicarii cogente Decimatores ecclesiasticos ad ædificandam Ecclesiam, reservato tamen iis regressu contra alios obligationi huic forsitan obnoxios.
- VIII. Quodsi porrò Episcopus, vel ejus Vicarius denegaverit, revocaverit, vel quomodolibet limitaverit facultatem audiendi Confessiones iis, qui parochiale Officium non habent, etsi quoque fuerint exempti, nullaque subsit causa, rejicitur appellatio.
- IX. Non poterit etiam appellari à Decreto Episcopi, aut ejus Vicarii, si ædes nullius Parochiæ alicui Ecclesiæ incorporaverit in perpetuum.
- X. Nullatenus toleratur Jure nostro Appellatio, si Episcopus, aut ejus Vicarius urgeat, & indicat Concursum ad providendum Parochiis quoque incorporatis Monasterio, vel Ecclesiæ Collegiatae, non obstante quacunque consuetudine, etiam temporis immemorialis.
- XI. Neque admittenda Appellatio, si Episcopi, aut ejus Vicarii Abbatis, & Monasteria etiam exempta visitando decreverint, ea, quæ pro reformatis moribus, & Disciplinâ regulari judicaverint idonea.
- XII. A Mandato quoque Clausuræ monialium reformatorio appellari nequit.
- XIII. Quodsi Episcopus, aut ejus Vicarius privaverit Privilegio fori Clericos, non incedentes in habitu, & Tonsurâ clericali, Appellatio locum non habet.
- XIV. Nec Appellatio permittitur à Decreto, quo tertia pars quorumcunque proventuum totius Ecclesiæ Collegiatae convertitur in distributiones quotidianas à solis præsentibus lucrandas.

- XV. Interdicta quoque est Appellatio à Decretis compellentibus Notarios, quoscunque ad se subjiciendum examini Episcopi. — Has omnes Appellationes interdicat Bulla BENEDICTI XIV. de anno 1742, quæ incipit: *Ad Militantis.*
- XVI. Ex eadem Bulla BENEDICTI XIV. vetatur appellari à Decretis Episcoporum, quæ quoquo modo respiciunt Curam, & Directionem Scholarum.
- XVII. Forma Regiminis ecclesiastici est monarchicò-Aristocratica, ceu perfectissima, & Ecclesiæ christianæ magis accommodata.
- XVIII. Utraque Potestas, tam sacra, quam civilis est in suo genere summa, & neutra ab aliâ dependet; Jus itaque sacrorum *soli* est reservatum *Ecclesiæ.*
- XIX. Episcopi dispensare possunt, toties, quoties sacri Canones totius mundi reverentiâ consecrati non obstant.
- XX. Concordatis Germaniæ non fuit derogatum per Concilium Tridentinum, imò nequidem derogari potuit citra specialem Nationis germanicæ consensum.
- XXI. Ex iisdem Concordatis competit Archiepiscopis Germaniæ Jus consecrandi Suffraganeos, ceu Eugenius IV. in Bulla ad Episcopum Wratislaviensem data declaravit.
- XXII. Jus & obligatio conservandi Leges fundamentales Imperii, adeoque etiam Concordata totam Nationem concernentia est supremum reservatum Cæsareum.
- XXIII. Iustissimum itaque erat Rescriptum, quo 1775 Imperator tribus Canonibus A. Confessionis in Ecclesia Cathedrali Osnabrugensi matrimonium interdixit pro Statu canonicali.
- XXIV. Domini Territoriales in Regula gaudent Jure reformandi, atque suam introducendi Religionem, etsi hæc in anno normali non extiterit.
- XXV. Iidem gaudent quoque Jure transplantandi Subditos, salvis tamen Juribus transplantandorum, & servatis humanitatis Regulis.
- XXVI. Protestantibus in Parochiis Catholicorum puris potest quidem Dominus Territorialis Catholicus concedere Exerctium scholæ privatæ, imò etiam publicæ; sed non tenetur.

XXVII.

- XXXVII. Fundamentum Juris primariorum Precum Cesarearum est antiquissima consuetudo, innixa Juri supremæ Advocatiæ Ecclesiarum, inhärentis Majestati.
- XXXVIII. Postulatus concurrens cum electo indiget duabus tertiis respectu omnium Capitularium votantium numeratis.
- XXXIX. Quas, si habeat Postulatus, non tam ex Gratiâ, quam ex Justitiâ est admittendus.
- XXX. Quodsi Capitulum Ecclesiæ Cathedralis mediatum in Germania non eligeret intra trimestre, Jus providendi immediatè devolvitur ad Summum Pontificem.
- XXXI. Cœlibatus Clericorum conformis est S. Litteris, & convenit decore Status Clericalis.
- XXXII. Idem Cœlibatus Clericorum Catholicorum nuper nactus est sui Defensorem ex causis politicis ipsam eruditissimum adeo MOESERUM A. C. in SCHLÖZERI Staats-Anzeiggen. Heft 8. Göttingen. 1783.
- XXXIII. Usus Capitulationum generaliter secundum Bullam Innocentii XII, & Rescriptum Leopoldi Imp. dimetiendus venit.
- XXXIV. Jus decimandi à laicis non est absolutè impræscriptibile.
- XXXV. Imò etiam non repugnat, laicos præscribere *Decimis*.
- XXXVI. Sponsalia sine Consensu parentum contracta sunt invalida.
- XXXVII. Matrimonia inter Catholicos, & Protestantés contracta subsistunt, dummodo non adjiciatur Conditio repugnans substantiæ matrimonii.
- XXXVIII. Domini Territoriales A. C. non possunt dispensare cum Subditis suis Catholicis in impedimentis matrimonii.
- XXXIX. Possunt tamen Domini Territoriales Catholici dispensare cum Subditis Protestantibus.



ULB Halle

3


006 389 805



vd 18







Bonn DE 1783, 12, 24
26.

APPELLATIONIBUS
PRÆCIPIE
A
SENTENTIIS INTERLOCUTORIIS
DISSERUIT
SUBMITTENS ERUDITORUM TENTAMINI
THESES VARIAS
EX
JURE ECCLESIASTICO COMMUNI ET GERMANICO
CASPARUS JOS. BIGELEBEN, Arnsbergensis
Juris utriusque Auditor
IN AULA MAJORI ARCHIEPISCOPALIS ET ELECTORALIS
ACADEMIE MAXIMILIANEO-FRIDERICIANE
BONNENSIS
[AD DIEM XII. DECEMBRIS ANNI MDCCLXXXIII.
Manè ab horâ nonâ ad undecimam.

Ex speciali Licentia Electorali Academica.

BONNÆ,
EX TYPOGRAPHIA ELECT. ACADEM. APUD JOAN. FRID. ABSHOVEN.

